

*silencium imponis; si sola intraveris, vacua non redibis; plura quid? Plus crucias^o dyabolum quam pena infernalis^p. Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas^q ad misericordiam filium^q virginis. Hec ille. Nota, karissime, Rachel ploravit filios suos, Ioseph patrem suum, filia Iepte virginitatem suam, Susanna iniquam sententiam, Magdalena Christum, Christus Lazarum; et non ploras dominum graciousum, principem inclitum, regem gloriosum, cezarem dignissimum, imperatorem^s Christianissimum, ut nostrum quilibet dicat cum propheta: *Idcirco ego plorans et oculus meus deducens aquam, quia longe factus est a me consolator*, Thr. primo, 16. Quis ergo dabit capiti meo aquam et oculis fontem lacrimarum? Ir. 9, 1. Hic valet primum capitulum de virtute condicionis humane aliquibus de medio et fine demptis. Hiis deductis: Quia moris est^t ad longinquas regiones properantibus^u caris valedicere et notis, ideo nobis sub typo dicere potest illud Crisostomi in sermone de paciencia⁷). Valet amici mei, valet et pro me deum exorate; iter enim pergo extremum, quod numquam ambulavi, et in regionem longinquam, in qua numquam fui, et ad aliud seculum animarum, unde nullus est reversus. Hec ille. Nos vero sibi dicamus: *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in seculum*, in Ps. [120, 8]. Ipse autem nobis respondeat ·N·: *Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit* [Tob. 12, 20]; *nolite contristari* [Neh. 8, 10], nec conturbetur cor vestrum. Rogo pro vobis patrem, ut ipse vos custodiat. Serenissimo autem regi nostro Wen[ze]zla[o] dicit: *Audi, filii mi, disciplinam patris . . . usque collo tuo*, Pr. primo, 8. Filius autem respondeat: *Domine, factum est, ut imperasti*, L. 14^v, 22. Item: Que placita sunt ei, *facio semper*. Regi autem cum fratribus suis: *Nunc ergo, o filii, emulatores estote legis dei . . . usque eternum*, 1 Mach. 2, 50. Omnibus autem baronibus et regni proceribus et cunctis principibus dicit: *En, ego moriar et deus erit vobiscum*, Gn. 48, 21. Nos autem dicamus: *Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam dominus*, Ps. [120, 7]. Et ipse nobis respondeat: *Letatus sum in his, que dicta sunt**

^o) cruciat Ms.

^p) inferni Ms.

^q) *Fehlt Ms.; die Konjektur stammt aus clm 3764 (s. Anm. 6); im Manipulus Florum steht nur: inclinas filium virginis.*

^s) imperatore Ms.

^t) *Fehlt Ms.*

^u) properantium Ms.

^v) 9 Ms.

⁷) Vgl. Migne PG 60, 726 (*Pseudo-Chrysostomus*); anderer Wortlaut.